

fuisse, ibique in eum omnia diræ atque inauditæ crudelitatis ac ludibrii exempla edita: abscissum caput, transverberatum pectus, avulsum, assatum, comedum cor, cadaver in mare projectum, caput ipsum, dum vino se ingurgitant, in mensa propositum: quibus cognitis, civitas tota cohorruit. Senatus, ne immania scelera inulta relinquenterunt, enitendum maxime existimabat; sed quominus in id omnes Reipublicæ vires effunderet, ratio temporum obstare videbatur, dum in Italia ingentia bellorum semina in dies incrementa majora sumarent. Itaque Philippum Paschalicum, legatum, triremibus, lembis, milite coactis, Senniam proficiisci, illam obsidione cum circumiectis locis premere, piratas persequi, ubicumque invenerit, insequi, plectere, interficere, nulli parcere jubet: ab oppidis tantum Ferdinandi Archiducis & Cæsaris invadendis abstineat. Ea enim erat Patrum sententia, ut piratarum licet sævissimorum causa, nulla ex parte cum Principibus Austriacis vetus amicitia, si fieri posset, interturbaretur. Itaque etiam officiis agendum censuere. Ad Cæsarem atque Philippum datæ literæ, quibus, quæ impie a piratis perpetrata fuerant, significabantur. Cæsari pacta cum Superantio legato, quæ a Republica in ejus gratiam acta fuerunt, memorabantur: in immensum prædonum audaciam, damna, contumelias excrevisse; in patricium hominem eo necis genere sævitum, quo nullum scelestius, tetrius, truculentius, ne excogitari quidem possit. Enim vero tantum pacis publicæ studium in Senatu vigere, ut intolerandis hisce malis ab eo opportuna remedia adhibenda aliquando tandem non desperet. Trierarchi casum Imperatricem illachrimasse fertur. Philippo eadem Senatus jussa per Petrum Priolum exposita: ac licet efferatissimorum hominum facinora Principes detestarentur, & perhorrescerent, tamen nihil ab iis, quo tantorum scelerum stirpes exscinderentur, agebatur. Senatus interea Paschalicum legatum Corsos milites retinere, ex Epiro mille, ex Croatia quingentos conscribere mandavit; ut ei quamprimum lembi viginti mitterentur, decrevit, quo supplemento auctus acrius persequendis insectandisque prædonibus insisteret. Paschalicus statim, iis cognitis, quæ in Pagi insulæ portu acciderunt, cum triremibus sex, duobus ac virginis